



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-840698-p0001-4

DFG



1797 274 15  
SVCCINCTA  
CIVITATVM  
GERMANIAE

EARVMQVE

IVRIVM RELIGIONEM CONCERNENTIVM  
DELINEATIO.

VNA CVM

POSITIONIBVS EX IVRE ECCLESIASTICO SELECTIS

QVAS

AUSPICE DIVINI NVMINIS CLEMENTIA  
PRAESIDE

P. CYRILLO ZORN

O. S. P. FRANCISCI STRICT. OBSERV. RECOLLECT.

SS. THEOL. LECT. EMER. ET IVR. ECCL. ACTVALI,

PROVINCIAE ARGENT. SEV ALEMANNIAE

SUPERIORIS CVSTODE ACTVALI,

T V E B I T V R

P. MARQVARDV MÜHLBAVER

ET IVSDEM ORDINIS

IVRIS ECCLES. ET SS. SCRIPTVRAE CANDIDATVS.

BAMBERGAE

APVD PP. FRANCISCANOS

ANNO MDCCXCVII

DIE MENSIS AVGUSTI

horis ante & post meridiem confuetis.

CVM ADPROBATIONE SVPERIORVM.

Typis Ioan. Georgii Klietsch, Almae Vniuers. Typ.



*LECTORI BENEVOLO.*

Succinctae Ordinis equestris in Germania,  
ejusque iurum religionem concernentium  
delineationi, haud pridem editae, addo suc-  
cinctam Ciuitatum Germaniae, earumque  
iurum religionem concernentium delineationem,  
in horis successivis adornatam.  
Opus completum, suisque absolutum nume-  
ris ne exspectes. Sufficient primae lineae,  
maioris molis opus meditatuero, casusque singulos  
materiae arduae & obscurae illustratu-  
ro, atque neruosiorum argumentorum pon-  
dere suffulturo. Vale, & conatibus faue.

\*

3



## P A R S I.

### CIVITATVM GERMANIAE HISTORIA.

---

#### C A P V T I.

##### *Ciuitatum Germaniae origo.*

###### § I.

**C**iuitatis vox non vnum nacta est significativa-  
tum. Quemadmodum ecclesiae voca-  
bulum duplice sensu solet, tum pro com-  
munione hominum Deum certo modo co-  
lentium, tum pro aedificio publico cultui  
diuino destinato; ita ciuitatis nomine, vel  
coetum hominum externae felicitatis caussa  
colligatum, vel complurium aedificiorum pro  
conniuientium familiarum securitate aut com-  
moditate exfructorum congregationem de-  
notari, usus tulit. Prior ciuitatis acceptio  
*laxior*, posterior *strictior* est. Posse vero ci-  
uitatem strictius sumtam vel muris carere,  
vel moenibus portisque circumdari, vel prea-  
ter munitiones, libertatibus, priuilegiis, iu-  
ribusque exornari, sole meridiano clarius est.

###### § II.

Germaniae non iidem semper fuere *fines*.  
Germanis contra IVLIVM CAESAREM, DRV-

A 2

SVM,

4

SVM, TIBERIVM, ac SILIVM, Marte minus  
proprio dimicantibus, Imperium romanum  
ad Rhenum vsque & Danubium est exten-  
sum, ac Germania omnis seculo I in tres ve-  
luti partes diuisa. Parti vni Gallis conter-  
mina, ad finistram Rheni ripam protensa,  
AVGVSTVS triumuir, regendas Gallias fortis-  
tus, Germaniae nomen imposuit, eam in  
duas diuidens prouincias, quarum prima &  
superior, Alpibus vicinior Tribocos, Neme-  
tes, & Vangiones continuit, secunda & in-  
ferior, circa Rhenum inferiorem & Mosam  
ad Scaldim vsque declinans, Vbios & Ton-  
gros complexa est, Partem alteram, a Reno  
ad Danubium vsque, Orientem Meridiemque  
versus protractam iidem victores romani No-  
ricum, Vindeliciam & Rhaetiam dixerunt. Ea  
vero pars, quae ad Occidentem Reno, ad  
Meridiem Danubio, ad Septentrionem mari  
boreali, ad Orientem a Sarmatis Dacisque  
mutuo metu, aut montibus terminabatur,  
Germania vera & magna nuncupata fuit, ante  
quidem & post CHRISTI natales crebris la-  
cessita Romanorum bellis, nunquam tamen  
in romanae prouinciae formam redacta.

### § III.

Tam graecorum quam romanorum Scrip-  
torum fide non ambigua constat, non in iis so-  
lum, quae Romanis paruerunt, Germaniae  
partibus, verum etiam in Germania nostra  
vera

vera & magna, ciuitates *sensu laxiore* accep-  
tas (§ I.) tot extitisse, tamque varias, quot,  
quamque variae erant Germanorum gentes,  
quarum nomina Tacitus pluribus common-  
strat paginis a).

§ IV.

Sed strictior ciuitatis *notio* (§ I.) nostro con-  
gruit proposito. A Romanis ad Rheni Danu-  
biique oras per quatuor secula firmius ha-  
rentibus in terras sibi subiectas (§ II.) plures  
inuestigatas colonias, ibique urbes, & castra,  
ceu totidem gentium deuictarum froena fuisse  
exstructa, nullus dubio relinguitur locus.  
Iam Tacitus b) non vno in loco ciuitatum  
transrhenanarum mentione ingesta, Col-  
oniiam inuisitam maximopere Germanis ciuita-  
tem fuisse effatus est c). Verum, si vel Ta-  
citus tacuisset, FLORI & LIBANII testimo-  
nia in promptu sunt, quorum ille d) DRV-  
SVM quinquaginta amplius castra per Rheni  
ripam direxisse asseuerat, hic e) CONSTANTII  
Imperatoris tempore quadraginta quinque ur-  
bes Rheno adfitas a Francis & Alemannis cap-  
tas ac deuastatas fuisse pronunciat. Harum  
potiores AMMIANVS MARCELLINVS propriis  
vocat nominibus, Argentoratum, Brocoma-  
gum,

a) De M. G. c. 26. & seq. b) Hist. L. I. c. 56.  
III. 42. 48. 52. c) Hist. L. IV. c. 63. d) Epit.  
rer. rom. L. IV. c. 12. e) In oratione consula-  
ri ad IULIANVM.

¶

gum, Tabernas, Salifonem, Nemetas, Vangiones & Maguntiacum, quarum ciuitatum territoria Barbari (populi Germaniae magnae) inhabitare quidem, sed ciuitates ipsas & oppida, ut circumdata retibus lustra declinare solebant f).

### § V.

Accedit, quod OPTATO milleuitano teste<sup>g)</sup>, inter Iudices in caussa Donatistarum <sup>a</sup> CONSTANTINO M. constitutos, MATERNVS Episcopus ex Agripina ciuitate commemo-  
retur. Et, si SHATTENIO fides <sup>b)</sup>, MAXIMI-  
NVS Treuiris, EVPHRATES Coloniae, MAR-  
TINVS Moguntiae, SERVATIVS Tungrorum,  
VICTVRVS Vangionum, IESSES Nemetonum,  
& AMANDVS Argentinensium Episcopi iam  
synodo sardicensi adsederunt. Ut nil dicam  
de Rhaetia, Vindelicia, & Norico, quae suis  
gauisfa Ecclesis, laureacensi, augustana, cu-  
riensi, tridentina, fabionensi, vindonensi,  
ceteris, vtut Barbarorum feritate iterum ex-  
tinctis, antiquissima martyrologia, aliaque  
monumenta fide digna passim eloquuntur <sup>i)</sup>.  
Quum autem iuxta morem Ecclesiae in syno-  
do sardicensi <sup>k)</sup> firmatum, Episcopi nonnisi  
in Ciuitatibus maioribus ordinari debuerint,  
in Germania romana primis quatuor seculis  
ciui-

---

<sup>f)</sup> L. XVI. c. 3. <sup>g)</sup> L. I. contra PARM. <sup>k)</sup> Conc.  
Germ. Tom. I. Praefat. § II. <sup>i)</sup> CALLES annal.  
eccles. Germ. Tom. I. dissert. 4. <sup>b)</sup> Can. 6.

ciuitates conditas fuisse, nemo, nisi in sacra  
& profana historia hospes, inficias iuerit.

§ VI.

At vero in Germania nostra *vera & magna*  
aut *cisfrhenana* (*Romanis transfrhenana*) tan-  
tum abest, vt primis quatuor seculis ciuita-  
tes videre licuerit, vt Germani potius ine-  
unte seculo I, tuguriis informibus, ex lignis  
super se sepositis, leui opere coagmentatis,  
ac stramine tectis contenti cum pecoribus  
se b uno vixerint tecto. Res liquet ex *TACI-*  
*TI* testimonio hisce verbis expresso l): *Nul-*  
*las Germanorum populis urbes habitari, fatis no-*  
*tum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes.*  
*Colunt discreti & diuersi, ut fons, ut campus,*  
*vi nemus placit. Vicos locant, non in nostrum*  
*(omanum) morem, connexis & cohaerentibus*  
*aedificis: suam quisque domum spatio circum-*  
*dat, siue aduersus casus ignis remedium, siue*  
*infirmitate aedificandi: ne caementorum quidem*  
*apud illos, aut tegularum usus.*

§ VII.

Nec simplex hic & agrestis aedificandi ac  
habitandi modus post *TACITI* aevum subito  
mutat. *sestinalium ornatorem & commodio-*  
*dorem. Seculorum tractu opus est, donec*  
*ea, quae paulatim hunc, conuersione sequan-*  
*ti sentiantur. Antiquissima & domestica Ger-*  
*maniae*

---

l) de Mor. Germ. c. 16.

maniae Lex Salica, post quartum seculi V. lustrum condita non aliam, nisi salarum, stabarum, spiciorum, scuriarum, hortorum, curtium & villarum mentionem facit <sup>m).</sup> Inde omnis, quam sibi Germani per quatuor seculorum decursum comparauerant, habitandi commoditas, in eo reposita videatur, quod praeter casas inchoauerint erigere ad frigus molliendum hypocausta, pro recondendis frugibus horrea, pro collocaendis animalibus stabula, aut alias pro conuentibus habendis separatas aedes. Quum igitur area sepe clausa, quea id genus aedificia continebat, curtis; & ea, quea praeter curtem, etiam agros, prata, sylvas complectebatur, vicus aut villa audierit; in Germania nostra vera, vsque ad seculum V. seu fundatam monarchiam francicam, nonnisi curtes & villas, nullas vero exstructas fuisse ciuitates concludo.

### § IIX.

Sublestia itaque illorum Chronicorum fides est, quea multarum ciuitatum Germaniae magnae originem a Troianis & Graecis assertare solent. Nec minus vacillat auctoritas IVLII CAESARIS <sup>n)</sup> VELLEII PATERCVL<sup>e</sup>, & PTOLOMAEI <sup>p),</sup> quos oppidorum & vrbium

---

<sup>m)</sup> Apud GEORGISCHE Corp. Iur. germ. antiqu. <sup>n)</sup> L. IV. de B. G. c. 6. <sup>o)</sup> Hist. L. II. c. 95. <sup>p)</sup> L. II. c. II. Geogr.

9

bium Germaniae magnae sua aetate existentium meminisse, nullus nescit antiquitatis cognitor. Verum horum testimonia in non leuem adducit suspicionem silentium TACITI, illorumque Historicorum, qui veterum Germanorum statum, moresque, & Romanorum suscepas in Germaniam magnum expeditiones ad seculum a nato Salvatore V. literis suis diligentissime persequuti sunt. IVLIO CÆSARI id a Criticis vitio vertitur, quod non satis interdum veritati litauerit, quaeque per alios gesta erant, incaute crediderit, quae per se, vel consulto, vel obliuione perperam crediderit q). Idem Critici VELLEIVM PATERCVLVM, adulatiovitio laborasse, & neglectae, quae historiae pes & caput est, veritatis reum dixerunt. Nec PROLOMÆV philosophi alexandrini, qui quidem post TACITVM vixit, testimonium magni ponderis est; PROLOMÆVS enim Germaniam numquam ingressus est, nec ea, quæ commemorat loca, lustravit, sed ex aliorum plerumque incertis & exaggeratis relationibus dedit hanc, quam habemus, Germaniae delineationem. Oppidorum igitur aut πόλεων nomine, quo hi Scriptores vsi sunt, vicos tantum intellectos fuisse, vel ex solo HERODIANO r) colligere licet, cui vicus & oppidum synonyma sunt;

---

q) ZEILLER de Historicis, Chronol. Geographis.  
r) Hist. rom. L. VII. c. 2.



sunt; dum enim de MAXIMINO ait, quod  
hic vicos omnes incendendos diripiendosque mili-  
tibus concesserit, mox addit: namque oppida  
eorum (Germanorum) & aedificia ignis depa-  
citur.

### § IX.

A seculo V. Castris, Emporiis, & Burgis  
construendis in Germania magna operam da-  
tam fuisse, certius est. Primo occurrit ca-  
strum Dispargum, quod in termino Thuringo-  
rum situm, & a CLODIONE Francorum Rege  
inhabitatum, refert GREGORIVS turonensis  
(s), & AIMONIVS confirmat i). \* Castrum  
Schiding secujo VI. conditum fuisse, idem  
Turonensis, testatur u), & WITTICHINDVS  
(x) prope finium Vnstrude situm, quum THEO-  
DORICVS Rex Francorum regnum Thuringiae  
existriparet, a Saxonibus occupatum esse enar-  
rat. Castelli Wirsburg memoria habet in  
literis ZACHARIAE Papae anno 742 ad BONI-  
FACIVM moguntinum datis, quas refert OTH-  
LONVS in vita S. BONIFACII y). \*\* Castra Sa-  
xonum fuere Eresburgum & Sieburgum.  
Illud anno 772 a CAROLO M. in bello contra  
Saxones gesto, hoc anno 774 captum fuisse,  
ex

---

<sup>s)</sup> Hist. Franc. L. II. c. 9. <sup>t)</sup> L. IV. c. 4. <sup>u)</sup> l. cit.  
L. III. c. 4. <sup>x)</sup> Annal. L. I. pag. 631. Cf. Ga-  
letti Geschichte Deutschlands, 2ies Buch, 1ter  
Abschnitt, Seite 90. <sup>y)</sup> L. I. c. 2.

ex Annalibus laurehamiensibus, fuldensibus,  
Annalista saxone abunde patescit z).

\*) De loco *termini Thoringorum*, in quo Dispargum possum fnerit, variae extant coniecturae. Alii Dispargum querunt Diefthemii in Brabantia, alii Diesburgi in Clivia, alii Diesburgi in Zutphania, alii Heinsbergae in agro iuliacei. Verum quum Dispargum non trans, sed eis Rhenum situm fuerit, hi omnes corruptis Gregorii turonensis editionibus, in quibus pro Thoringia Tongria perperam legitur, seduicti videntur. Qui Dispargum Dietesburgo in Buchonia, aut Desenbergae in Westphalia attribuunt, iſſud extra Thoringiae fines male collocant. Alii per Dispargum intelligent Dilbergam prope Heidelbergam, eoquod iste terrae tractus Hassiae vicinus, olim Thoringiae computatus fuisset. Alii derum coniciunt, Dispargum esse castrum Disburg super altissimum montem, olim in pago Wirogau, finibus Thoringiae comprehenso situm, postea ad Comitatum hennebergicum pertinens, haud procul a vicis Helmershausen, Wolmuthaufen, Erbenhausen &c. Cui coniecturae, quum nomen & situs congruant, ECCARDVS in Prologo ad legem salicam, calculum suum adiicit.

\*\*) Vtrum OTHONVS vitae S. BONIFACII, quae eidem in antiquis lectionibus CANISI adiudicatur reipse auctor fuerit, Critici dubitant, quum Aylus reclamat.

#### § X.

Venedos maris accolas non de castris solum, sed & de emporiis exstremis sollicitos fuisse,

z) Ad ann. 772. 774. Cf. Galetti c. l. 4 Abschnitt.

fuisse, Annales bertiniani, & metenses produnt a). Celebriora emporia autem habebantur *Wineta*, *Iulianum*, *Arcona* cet., quae descripsérunt *HELMOLDVS b)*, *KRANZIVS c)*, & *CHYTRÆVS d)*. Quid vero de *Burgis*? Siue cum Latinis Burgum dixeris turrim, vel propugnaculum turritum, siue cum Gallis & Germanis plurimum domorum congregatiōnē: vtroque sensu Burgos extitisse, faciliē obtines assensum. Burgos enim primo sensu cum castris, secundo cum hodiernis villis, pagis, minoribusque oppidis aut ciuitatibus exiguis, quae *murus* carent, comparari posse, simillimum veri est. Velut autem Castrorum, Emporiorum, ita & Burgorum nomina propria in Annalibus fuldensibus & laureshamensisibus, immo & in ipsis Regum Francorum Capitularibus paginas non paucas faciunt e).

### § XI.

Seculo IX vicorum moenibus fassisque cinctorum prima apparent vestigia. CAROLO M. post bellum saxonicum, noua contra Hunnos & Slavos per repetitas irruptiones Germaniam deuastantes gerenda bella. Ut horum insultibus obex poneretur, CAROLVS M. non tantum noua condidit castra prope Albim f),

&amp;

a) Ad ann. 808. b) L. I. e. 2. c) Wandalia L. II. c. 33. d) Saxonia pag. 10. e) Cf. M. F. Schmidt's Geschichte der Deutschen, iter. Th. 3tes Buch, 9tes Kap. f) EGINHARDVS, Annal. fuld. & lauresham. ad ann. 810.

& alibi; \* sed etiam monasteria muris circumdari, & qui occasione & cura Coenobiorum in magno iam numero enatierant vici, oppidae muris, turribus, vallisque munire orfus est. CALOLI M. vestigiis, eiusdem successores, Nobiles, ac praeccipue Episcopos, qui in ciuitatibus sedere iussi erant, (§ V.) institisse, fuaeque securitati prospexisse, credere fas est. Nec vana & leui credulitate duci videamur, quum Carolidarum aeuo quasdam ciuitates aut oppida munita, *in quae Germani transfugerint, exstructa fuisse, WIT- TICHINDVS g), & DITMARVS h)* innuant. Quamuis diffitendum minime sit, hasce ciuitates ferme omnes Barbarorum populacionibus dirissime affictas, tristissimisque tumulatas fuisse ruderibus.

\* Sub idem tempus coincidere videtur exstructio Castris Babenbergk. Cui conjecturae accedit M. H. Schubert in den Nachträgen zum Historischen Versuche über die geistliche und weltliche Staats- und Gerichtsverfassung des Hochstifts Bamberg, ersten Abschnitt, Seite 5. hoc tenore verborum: Nicht ungegründet ist, daß nach der Meinung einiger Geschichtforscher das Bergschloß Babenberg mit ihren benachbarten Schweizer Giechburg vor oder zu Zeiten K. Karls des G., und sonach deren Beispiele zu Folge die Festung Coburg zu dem Ende erbaut worden seyen, um die Sicherheit dieser Gegenden zu gewährern, und durch zeitlich Bemerkung der Einfälle,

g) Annal. L. I. pag. 637. h) L. I. pag. 317.



falle, der noch nicht bezwungenen slavischen Völker die erforderlichen Anstalten mit guter Vorsicht treffen zu können. Der Lage dieser in einem Dreyecke auf einer beynaha gleichen Höhe liegenden Bergschlösser, deren jedes das andere beobachten, und die auf derselben durch angezündetes Feuer gegebene Signale sogleich bemerken könnte, ist dieser Vermuthung ganz gemäß.

### § XII.

Seculo autem X. HENRICVS I, quem *Aucupem* vocant, paucas, quae supererant, ciuitates, continuis Barbarorum incursibus auertendis minime sufficere perspiciens, accepta ab Hunnis ad annos nouem pace, induciarum tempore, in id omnem conuertit curam & solicitudinem, vt non solum ad defendendos fines institueret marchias, sed & plura oppida muris *fossisque* includeret, translati in eadem nono quoque viro ex militibus agrariis, qui tertiam partem omnium frugum ex villis transmissam custodirent, vt in bello nil rerum deficeret, omniaque & viris, & rebus essent plena *i).*

### § XIII.

Etsi autem securitas quaesita, princeps urbium (ciuitatem munitam, urbem vocari mos inualuit) exstruendarum caussa extaret, sensim tamen ex aliis tum caussis, tum occasiobus, ad seculum XIV. usque Germania magna

---

*i)* WITTICHIND. annal. L. I. pag. 639.

na multis distincta est vrbibus. Non solum enim erectarum sub CAROLO M. eiusque successoribus Ecclesiarum ciuitates episcopales, Regibus annuentibus, (ante Superioritatem territorialem Statibus Imperii communicata, a Regibus aut Imperatoribus ius castrensis aliquod, vel urbem extruendi impletandum erat) ab Episcopis muri cingebantur, sed etiam crescente sub OTTONE M. & reliquis saxoniciis Imperatoribus institutorum Episcopatum numero, crevit urbium numerus. Volantis per Imperium Aquilae nidi, castra, inquam, palatina, aucto pedetentim accolaram numero in urbes se dilatarunt. Delecta quoque Ducum & Principum sedibus loca, quum incolis multiplicarentur, urbium numerum auxerunt. Dissidationes tandem, seu intestinae ac priuatae Germanorum inter se contentiones, nec legibus, nec sacramentis, ante Pacem profanam publicam fatis cohibendae, plures, quibus maior se iusque facultates conseruandi cura insederat, commouerunt, ut murorum oppidis circumductorum praesidio sibi consulerent.

## C A P V T II.

### *Ciuitatum Germaniae distinctio.*

#### § XIV.

Varia olim erat ciuitatum Germaniae distinctio. Si locum spectes: aliae *trans Rheum*

num & Danubium, (§§ II, IV, V) aliae *cis*  
dicta flumina (§§ XI, XII, XIII) extructae  
sunt. Si tempus: aliae ante, aliae post HEN-  
RICVM I. conditae; illae *antiquae*, hae *nouae*  
dici consueuerunt. Si regimen: aliae Regibus  
immediate subiectae, aliae a Regibus, curae  
Ducum traditae, in illis Comites, Regisque  
praefecti, eius vices gerebant, proque eo  
reditus colligebant; his Duces (delegata qui-  
dem potestate) praeerant, & redditibus ipsi-  
met truebloantur. Illae *regales*, seu *imperiales*,  
hae *praefectoriae* appellatae sunt.

### § XV.

In ciuitatibus tam regalibus, quam praefectoriis, vel Regis, vel Ducis nomine *Iudi-  
cicis* praererant Aduocati & Sculteti. Hos  
inter autem iurisdictio plerumque ita diuisa,  
vt Aduocatus in capitalibus, in ciuilibus  
causis Scultetus cognosceret. Quum tamen  
ex antiqua iuris germanici formula par parem  
judicaret, Scabini ex ciuium ordine delecti  
sententiam pronunciatabant, tametsi Aduoca-  
tus aut Scultetus praesiderent iudicio.

### § XVI.

In ciuitatibus vero, quibus Episcopatus  
annexi erant, id contigit, vt, dum Duces,  
Comitesue severo nimis populos haberent,  
a Regibus tam carolingicae, quam saxonicae  
firpis multae aduocatiae Episcopis commen-  
daren-

darentur, quae res tunc temporis species libertatis aestimabatur. Ita ADAMVS bremensis <sup>k)</sup> de ciuitate bremensi scribit: ADALDAGVS primo, vt ingressus est Episcopatum, Brexam longo prius tempore, Potestatibus ab iudicaria manu oppressam praecepto Regis absolvit, & instar reliquarum urbium immunitate, similique libertate fecit donari. Et DITMARVS <sup>l)</sup>, postquam retulit, OTTONEM Ducem BVRCHARDIO Episcopo iure suo in urbem Wormatiam cessisse, addit, eam tunc incepisse libertate sua laetari.

### § XVII.

Quamuis autem, vt cum LAMBECIO loquuntur, Bremae, aliasunque urbium iurisdictio Episcopis & Archiepiscopis cesserit, fas tamen visum non erat, ciuilibus ipsis praefidere iudiciis: sed ad haec nomine suo exercenda habebant Aduocatos, homines profanos, vel, vt vulgo aiunt, laicos, cum speciali Imperatorum permisso constitutos. Ita potestas commodum sibi Aduocatum eligendi Episcopo bambergensi concessa fuit in diplomate HENRICI II <sup>m)</sup>, & confirmata per diplomata CONRADI II, HENRICI III <sup>n)</sup>, alio-

rūm-

<sup>k)</sup> Hist. eccl. L. II. c. 1. <sup>l)</sup> Prolog. ad L. VII. annal. <sup>m)</sup> Origin. hamb. L. I. §. 23. <sup>n)</sup> Cod. diplom. zur bamberger Deduction Gürth beires- fenv n. 9. <sup>o)</sup> cit. loc. n. 23. & seq.

B

rumque Imperatorum. Ab eo tempore Episcopatus bambergensis ab omni extranea potestate securus, proprios habuit Aduocatos, quorum primus & praecellentior Aduocatus Burgi seu Ecclesiae, alter Aduocatus fori, seu Scultetus ciuitatis dici consuevit p).

§ XVIII.

Sed vt omnia vicissitudini obnoxia sunt, ita quoque aduocatiae ciuitatum sensim labacere cooperunt. Caussas mutationis historicas breuiter habeto. In vrbes, quibus patria nostra frequentabatur, plures ex ingenio & libertinis concessisse, nota res est, & comperta q). Quo pluribus vrbes priuilegiis, praे aliis communitatibus aut pagis exornabantur, eo maior euasit opificum relictis agris vrbes petentium numerus. Quo maiora incrementa sumserunt commercia, eo magis crescebat burgensem opulentia & potentia, adeo, vt iam seculo XI ortis HENRICVM IV Imp. inter & Imperii Principes dissidiis, vrbes, potissimum rhenanae, HENRICI partibus strenue defendendis pares extirrint r). Nec mirum ; quum illi vrbiuum incor-

iae,

p) Cf. cit. Schubert historischer Versuch ic. Seite 27. 28. 29. Item Nachträge zum historischen Versuch ic. Seite 64. 65. q) Cf. Succincta mea Ord. equest. &c. delineatio. r) LAMBERT. Schaffinab. ad ann. 1073. 1074. Cf. VITRIAR. illust. L. I. Tom. II. tit. 18. M. J. Schmidt G. d. D. 2ter Theil, 5tes Buch, 12tes Kap.

iae, qui commerciis nauabant operam, non amplius a militia excluderentur, & BRVNO s) HENRICI IV exercitum maximam partem ex mercatoribus constitisse testetur. HENRICVS V per priuilegium ciuitati spirensi datum, & a reliquis ciuitatibus adoptatum, eos etiam incolas, qui solo labore manuum & mechanismo viuebant, sublato onere, seu parte illa, quae vulgo Budieil vocabatur, ciuitatis iure donauit t); quo facto ita creuit burgenium aestimatio, vt plures, qui genus & proauctos ostentare, seque militari prognatos sanguine iactare poterant, non erubuerint intra moenia urbium refugium & officia quaerere, eorumque se ordini addicere, quos antea dira paupertas rei facienda cauissa in vrbes compulerat. Plures terrae dominos factos esse ciues in Magdeburg, in Chronico magdeburgensi refertur u).

### § XIX.

Germanis iam maior cum vrbibus italicis commerciorum cauissa intercesserat consuetudo. Quemadmodum autem vrbes italicae, excusso, quod Duces, Comites, & Episcopi imponere videbantur, iugo, ad eum libertatis gradum peruererant, vt ad veterum Romanorum exemplum, per consules electos ip-

B 2

sae

) De bello saxon. pag. 213. t) LEHMAN. Chron. spir. L. IV. c. 22. u) Cf. Strubens Nebenstunden V Abhandl. §. 12.

sae sese regerent; ita & vrbes germanicae aucto ciuium numero, obtentisque per commercia opibus potentiores effectae vel Adiuvatorum, quibus suberant, odio, vel urbium italicarum exemplo motae, Consules & Senatum sibi a Regibus dari petebant, aut proprio motu instituere admittebantur. Hinc in Annalibus secul. XII & XIII. *Magistrorum ciuium, Consulum, Consiliorum, cetera nomina obvia sunt.* In urbibus episcopalibus Archiepiscopi & Episcopi temerariis hisce ciuium ausibus se fortiter opposuere, sed irrito non semel conatu. Praefulsum istorum sua fuit excitatus FRIDERICVS II anno 1232 editissi sanctio reuocavit in irritum, & cassavit in omni ciuitate & oppido Alamanniae, communia consilia, Magistros ciuium, seu rectores, vel alios quoslibet Officiales, qui ab uniuersitate sine Archiepiscoporum vel Episcoporum beneplacito statuerant x). Verum nec hoc decretum vbi que optatum obtinuit effectum.

#### § XX.

Neminem denique latet, seculo XIII. & sequentibus complura a ciuitatibus tum inter se ipsas, tum cum aliis inita fuisse foedera, quorum celebriora sunt foedus hanseaticum, & foedus rhenanum. Illud primitus qui-

x) SCHANNAT. Cod. Prob. hist. wormat. pag. 110.  
Cf. Struben cit. XXXXI Abhandl. §. 9.

quidem a solis ciuibus lubecensibus & ham-  
burgensisibus commerciorum caufa percul-  
sum, postmodum 80 circiter vrribus auetum  
fuit; hoc a 60 pene ciuitatibus rhenanis ad  
ad nimium multiplicata Rheni telonia remo-  
uenda institutum. Etsi quidem primarius ho-  
rum foederum finis effet, vel commerciorum  
securitas, vel teloniorum remotio; si quaes  
tamen posthac ciuitas, ne libertatibus aut  
priuilegiis priuaretur, metueret, aut si cui  
ciuitati etiam minus opulentae, minusue  
potenti cum legitimo Principe lis effet & con-  
trouerfa, lubecenses, & venedicae vrbes  
suos mittere legatos solebant, qui foederis  
interponerent auuthoritatem; vel si quaes ciu-  
tas bello vrgeretur, reliquaef puppetias, legio-  
nes, naues, apparatus & commeatus, sociae  
vim patienti submittebant.

### § XXI.

His praeictis fundamentis, videlicet ci-  
uium numero, commerciorum diuitiis, No-  
bilium accessioni, ciuitatum italicarum ex-  
emplo, ac foederum potentiae innititur ci-  
uitatum germanicarum libertas atque ab Ad-  
vocatorum & Scultetorum iurisdictione ex-  
emtio, quam tamen non omnes ciuitates uno  
eodemque tempore, modoue consequantae  
funt. Primae erant ciuitates rhenanae, Wor-  
matia, Colonia, Spira, Argentoratum, Ba-  
silaea, cet, in praemium defensionis ab HEN-  
RICO



FRIDERICO IV Imp. libertate donatae. (§ XVIII.)<sup>\*</sup>  
 Ciuitates Rheno' haud vicinas quasdam FRIDERICO I & II Imp. libertatem suam in acceptis referre, communis est opinio. \*\*  
 Ciuitates aliae in Suevia post extintam per mortem CONRADINI, Ducum Sueviae pro-sapiam hohenstaufficam, accedente fatali interregno, Comitum, Praelatorumque instar se in libertatem afferuerunt. \*\*\* Ciuitates aliae ab ipsis Principibus liberali animo Imperio traditae. \*\*\*\* Aliae pretio sibi libertatem vindicarunt. \*\*\*\*\* Aliae ab Imperatoribus pro numerata pecunia redemptae. \*\*\*\*\* Aliae demum pacitis, aliisque modis, aut proprio Marte se liberis ciuitatibus associauerunt. Interea non poenitendus ciuitatum germanicarum numerus statum antiquum haudquam mutare valuit, quamvis Episcoporum praesertim imperium abnue-re, iteratis seditionibus contendent. \*\*\*\*\*

\* Qui Norimbergam a CONRADO I aut II Imperio adiunctam arbitrantur, dubiis vtuntur argumentis. Certum est ex OTTO frisinensi L. I. de gestis FRIDERICI Imp. c. 16., adhuc anno 1127 FRIDERICVM & CONRADVM Alemannie & Franconie Duces, fratres germanos, fuisse Norimberga Dominos. WAGENSEILIVS comment. de ciuitate Norimb. L. I. c. 4. hac de re nil certi definiendum censet.

\*\* FRIDERICO I. Imp. tribuitur libertas Lubecae, Ratisbonae, Augustae Vind. An autem Augusta

gustae

Augustae Vind. libertas titulo mere gratuito,  
vel onerofo competitat, non couuenient. Qui  
medianam viam tenent, opinantur, Augustae  
liberitatem sub FRIDERICO I incepisse, a CON-  
RADINO Suevæ Duce, certa pecuniae summa  
interveniente, ad perfectionem redactam fuisse.  
Cf. VITRIAR. illust. Tom. II. L. I. tit. 18.  
STRAVIR Corp. iur. C. XXII. §. 27.

\*\*\* Huc referunt Veberlingam, Dicum Sue-  
viae fedem. KNIPPSCHILD. de Ciuit. Imp. L.  
L. III. C. LIII. Buchorniam, quae extinctis  
primo Comitibus de Buchorn, & postea Co-  
mitibus altorfensibus & rauensburgensis,  
Imperio se adiunxit dicitur. KNIPPSCHILD  
cit. C. VIII. Kaufbeuram, quae post occisum  
Comitem suum ultimum ciuitatis Imperii effe-  
cta traditur. KNIPPSCHILD. cit. C. XXVI.

\*\*\*\* Talismodi sunt Gengenbacum, Zella, &  
Offenburgum. Cf. VITR. illust. cit. l.

\*\*\*\*\* Vti Vilma, Lindauia. Cf. VITR. illust.  
cit.

\*\*\*\*\* Vti Memminga, & Rauensburgum.  
CRSIVS P. II. annal. Sueu. L. I. c. 16. & L.  
IX. c. 11.

\*\*\*\*\* Has inter recensentur Moguntia ab  
ADOLPHO Archiep. ad obsequium iterum re-  
data, Bamberg, Heribopolis, Passauum,  
Magdeburgum cet. Cf. Strubens Neben-  
stunden V Abhaubl. §. 8.

### § XXII.

Ex haec tenus dictis colligas velim, hodie  
duplarem ciuitatum germanicarum esse con-  
ditionem. Vel enim Imperatori & Imperio  
immediate subsunt, vel Domino territorii  
pa-

parent: illae *immediatae*, hae *mediatae* nuncupantur. Neque opus est tertiam ciuitatum speciem, quas *mixtas* vocant, admittere: quae enim ad hanc classem referuntur, vel sunt municipia insignibus priuilegiis ab Imperatoribus aut Dominis territorialibus ornata, vel sunt ciuitates immediatae, in quibus, aliis Imperii Statibus iura quaedam, sive ex pacto ciuitatis, sive ex concessione Imperatoris competunt. In ipsis enim Imperii Recessibus y) ciuitates nonnisi in imperiales & municipales distinguuntur. Illud quoque discrimen inter ciuitates Imperii, & ciuitates Imperii liberas cessat, ex quo communi omnes libertate frui cooperunt. In Recessibus Imp. enim promiscue dicuntur Freye Städte, & Freye Reichsstädte z).

### § XXIII.

Quamdiu Imperatores praecipua regalia sibi adhuc referuauerant, ciuitatum immediatarum libertas plena non erat. At vero quum Principes tam ecclesiastici, quam seculares sensim largioribus regalibus immannentibus aequae ac transeuntibus instructi, territoria sua proprio, & superioritatis territorialis nomine regerent, ciuitates immediatae quoque, post obtenta variis ex titulis,

iura

y) R. I. Spir. 1544. §. 39. R. I. August. 1548. §. 47.  
z) Ord. Regim. 1500. R. I. Ratisbon. 1532. §. 4.

ipso regalia superioritatem territorialem exercere coeperunt, quae tandem per Pacem westphalicam confirmata est a): Liberis Imperii ciuitatibus - rata & intacta maneant regalia, vestigalia, redditus anni, libertates, privilegia confiscandi, collectandi, & inde dependentia, aliaque iura ab Imperatore & Imperio legitime impetrata, vel longo usq; ante hos motus obtenta, posessa, & exercita, cum omnimoda iurisdictione intra muros & in territoria.

#### § XXIV.

Per easdem P. W. tabulas ciuitates immediatae voti & suffisionis in Comitiis Imperii participes effectae sunt. Prima voti comitalis earundem vestigia apparent in Constitutione WILHELMI bataui anno 1255 b). Clariora indicia se finito produnt interregno. Nam in R. I. de anno 1287 ciuitatum mentio sit: Diese Sazunge und dire Brief wort gelesen, und der Landfrieden wort erneuert mit der Fuersten und der Landherren, und der Stadte geschworen Eiden. In R. I. 1293: Und wenn wir Koenig Adolph diese Sazungen des Landesfriedens von Rate und mit Gunst der Fuersten, Grafen, vrien Stadten ernuet, und bestaet han. In Comitiis spirensibus de anno 1309. HENRICVS VII Imp. cum Principibus electoribus, & aliis Principibus, & ciuitatum nunciis de suo transitu, & de praeflandis

---

a) I. O. Art. VIII. §. 4. b) DATT Vol. rer. germ.  
L. I. c. 4.

*flandis seruitiis in Italiam communicavit c).*  
*Porro CAROLI IV aetate ciuitates immediatae interfuere Comitiis spirenibus de anno 1349 d), dein celebratissimae Curiae norimbergensi, in qua Bulla aurea prodiit, in cuius prooemio, & in c. 12, Electores, Principes, & ciuitates nominantur.* In Recessibus Imp. sub SIGISMVNDO, ALBERTO II eti. ciuitatum suffragium iterum iterumque reperire est. Sed quum ciuitatum in Comitiis non adeo magna habita fuerit ratio, illaque, quantum fieri potuit, Electorum atque Principum sententiae se sponte confirmauerint, primum anno 1521 dubium motum, an ciuitatibus votum decisum competeteret, dum nonnisi consultium eis conuenire existimatetur. Lites hac de re, anno 1522 inchoatae, annis 1541, 1542, 1544, 1546, 1548 resuscitatae, iterato annis 1555, 1582, 1594, 1597, 1603, 1608 motae, protestando & protestando indecisae manserunt, ciuitatibus antiquissimas libertati fortiter inhaerentibus, & siquid in praeiudicium earundem suscepimus, ingenue, submissa tamen, ut decet, modestia reclamantibus; donec tandem in Pace westphalica e) certo & indubitate ciuitatibus immediatis votum decisum adiudicatum fuerit his verbis: *Tam in uniuersali-*

e) ALBERT. argentinenfis, Pag. 116. d) ALB. arg. cit. Pag. 151. 152. e) I. O. Art. VIII. §. 4.

*salibus, quam particularibus diaetis liberis Imperii Ciuitatibus non minus, quam ceteris Statis competat votum decisum.*

§ XXV.

Ne vero ciuitates fructu voti decisui de-  
stituerentur, in Comitiis anno 1653 ce-  
lebratis, ad *simultaneam re- & correlatio-*  
*nem Electorum & Principum admitti petie-*  
*runt, quum duo Collegia superiora eis non*  
*nisi *successuam* concederent. Lis haec, saluo*  
*ciuitatum voti decisui valore, protestando*  
*& re protestando agitata, nulla adhuc lege*  
*publica decisâ fuit. Hodie, vt PÜTTERI ver-*  
*bis vtar f), actus re- & correlationis in Co-*  
*mitiis ita perficitur. Re- & correlatione in-*  
*ter ambo Collegia superiora peracta, si con-*  
*ueniant, fit commune conclusum duorum*  
*superiorum Collegiorum, quod ciuitatum*  
*Collegio communicatur. Interim etiam Col-*  
*legium ciuitatense suas deliberationes insti-*  
*tuit, & conclusum suum cum monitis in con-*  
*clusum superiorum Collegiorum communicat.*  
*Si omnia tria Collegia in sententia conue-*  
*niant, fieri potest conclusum commune trium*  
*Collegiorum, & si accedat ratificatio*  
*caesarea, enascitur conclusum Imperii om-*  
*nibus numeris absolutum. Si autem tria Col-*  
le-

---

f) Inst. Iur. publ. germ. §. 150. & seq.

legium ciuitatense dissentiat, formatur quidem conclusum trium Collegiorum, ita tamen, ut eidem sententia ciuitatum singularis inferatur; si vero ambo Collegia superiora dissentiant inter se, causa ut plurimum veteriori exitu destitutur, ne instituta quidem cum ciuitatibus re- & correlatione. Subinde tamen etiam conclusum duorum Collegiorum, adnexa vnius Collegii superioris dissentientis singulari opinione, in formam suffragii redigitur; sed nisi decisio caesarea, a Statibus expresse desiderata accedit, majoribus intra tria Collegia locus non est.

### § XXVI.

Quidquid autem sit de modo deliberandi in Comitiis; quum in eo, ut quis voti confessionis in Comitiis particeps sit, proprio versetur character Status Imperii, omnes etiam & singulae liberae & immediatae Imperii ciuitates, vtpote voto decisio praeditae (XXIV); veri nominis Status Imperii sunt, omnem insuper dubitationem remouente hac P. W. dispositione g): *Liberae Imperii Ciuitates sub appellatione Statuum Imperii non tantum in Pace Religionis, & praesenti eiusdem declaratione, sed & alias ubique indubitate continentur.*

### §. XXVII.

g) I. O. Art. V. S. 29.

## § XXVII.

Ceterum inter ipsas Imperii ciuitates immediatas multiplex extat distinc<sup>tio</sup> *accidentaria*. Aliae sunt certis Imperii negotiis destinatae, velut Ratisbona Imperii Comitiis: Francofurtum ad Moenum electioni Imperatoris b): Aquisgranum eiusdem coronationi i); attamen a tempore FERDINANDI I coronatio Aquisgrani peracta non est, sed erga reuersum aquisgranensis iura saluantes, in loco electionis celebrari solet. Norimbergae Imperii clenodia afferuantur. Habita ratione territoriorum, aliis ciuitatibus extra moenia territorii nihil est; aliae autem non circumiacentem tantum districtum, sed & integra territoria, quae olim vel Comitatus, vel Dynastiae erant, singularibus titulis acquisita, possident. Si ad Commercia reflectamus, celebres sunt ciuitates hanseaticae adhuc superstites, Lubeca, Hamburgum, Brema, quarum priuilegiis prospectum fuit per Pacem westphalicam k), Capitulationem CAROLI VII l), & varia exterorum Regum foedera. Forma regiminis interni in aliis ciuitatibus Imperii aristocratica, eaque in nonnullis, certis tantum familiis patriciis adstricta est: in aliis viget forma ex aristocracia & democracia mixta: in aliis super-

funt

b) A. B. Tit. I. §. 19. i) A. B. Tit. XXVIII. §. 5.  
k) I. O. Art X. §. 16. l) Art. VII. §. 2.

¶

sunt adhuc reliquiae pristinae aduocatiae cae-  
fareae , a tertio quodam Statu adquisitae.  
Quae autem in singulis ciuitatibus Imperii  
sit conditio Magistratus ? Quot , quibusque  
Consulibus , Senatoribus , Syndicis , Consul-  
lentibus , cet. consistat ? Quinam ciuium  
nomine veniant ? Quae sint horum Collegia ?  
Quae Patriciorum praerogatiuae ? cet. ex  
specialibus cuiusque ciuitatis legibus , iusta-  
ue obseruantia aestimanda sunt.

---

P A R S II.  
CIVITATVM GERMANIAE IVRA RE-  
LIGIONEM CONCERNENTIA.

---

§ XXVIII.

**Q**uamdiu in Germania vñica vigebat reli-  
gio romano - catholica , omnes , quot-  
quot per Baptismi ianuam Ecclesiam ingressi  
erant , nulla status , dignitatis aut potentiae  
secularis habita ratione , in iis , quae ad Dei  
cultum , & animarum salutem spectant , ec-  
clesiastico imperio subiiciebantur ; iura ita-  
que ciuitatum Germaniae religionem con-  
cernentia , ultra iuris patronatus , & externo-  
rum quorundam aliorum sphaeram extensa  
non erant , nec falso catholicæ religionis  
principiis extendi poterant.

§ XXIX.

## § XXIX.

Seculo XVI autem ingens in religione mutatione contigit, cuius auctor erat LUTHERVS. Hic, quum anno 1517 tum pro concione, tum affixis publice thesibus, indulgentiarum vim generatim impugnaret, ac demum alia religionis catholicae dogmata, ab vniuersali Ecclesia recepta, conuellere, nequaquam sibi scrupulo duceret, post leniora media necquicquam tentata a LEONE X Papa, anno 1520 sacro fulmine perstri&us, in Comitiis wormatiensibus anno 1521 auditus, sed non recantans, vt haereticus, & schismatis auctor damnatus, bannoque imperiali subiectus fuit. Ast Saxonie Electoris, aliorumque, quorum animis se iactata conscientiae libertas insinuauerat, potentia fretus, Bulla condemnatoria Papae, Bannoque imperiali contemui habitis, sectam suam in plures adhuc prouincias propagare, nec frustra, conatus est. Enimuero, quum in Comitiis spirensibus anno 1529 Edictum wormatiense renouaretur, contra istud protestati sunt, praeter Electorem Saxoniae, Marchio brandenburgicus, Duces brunsvicenses, Landgrauius Hassiae, Princeps anhaltinus, & quatuordecim ciuitates Imperii. Ex hac solenni protestatione originem suam traxit nomen *Protestantium*, sicut a formula fidei in Comitiis anno 1530 Augustae Vind. Imperatori oblati, sed reiecta, *augustana Confessio*.

## § XXX.

## § XXX.

Protestantibus armata vi religionem suam tuentibus, ad maiora mala auertenda tandem Passauii anno 1552 transactio inita est, in Comitiis augsburganis anno 1555 confirmata, quae *Pax Westphalica* audit. Quum vero pax haec caulis diuidiorum inter Catholicos & A. C. addictos non omnes sustulerit, post plura celebrata Comitia, proposita grauamina, gesta bella atrecissima, tractatus cum ingenti difficultate continuatos anno 1648 *Pax westphalica* conclusa est. Vi utriusque pacificationis non amplius una est in Germania religio, sed per Pacem religiosam <sup>m)</sup> praeter auitam religionem catholicam, religio Protestantum, & per Pacem westphalicam <sup>n)</sup> etiam religio Reformatorum iure ciuitatis germanicae, & imperiali protectione gaudet.

## § XXXI.

His praelibatis, quaenam iura religionem concernentia, ciuitatibus, & primo quidem mediatis, ex utraque pacificatione adcreuerint, indagandum venit. Receptum erat ab illis, qui LUTHERI & CALVINI dogmata sequebantur, illud notissimum: *cuius est regio, illius est de religione dispositio*, quo nixi Status protestantici, antiquae religionis professores ad suam religionem compellere, renuentes expellere, nouae religioni addictos intro-

---

<sup>m)</sup> §. 15. <sup>n)</sup> I. O. Art. VII. §. 1.



trudere, sibique dispositionem de negotiis religionem concernentibus vindicare coeperunt. Haec potestas *ius reformandi nouum* vocatur, ut distinguatur a *iure reformarii antiquo*. Ius reformandi nouum omnibus Imperii Statibus per Pacem religiosam permisum, & per Pacem westphalicam firmatum est, in qua ita dispositum o): quantum deinde ad Comites, Barones, Nobiles, vasallos, ciuitates, fundationes, monasteria, commendas, communitates, & subditos Statibus Imperii immediatis, sive ecclesiasticis, sive secularibus subiectos pertinet; quum eiusmodi Statibus immediatis, cum iure territorii & superioritatis, ex communi per totum Imperium hactenus usitata praxi, etiam *ius reformandi exercitium religionis* competit, ac dudum in Pace religionis talium Statuum subdiuis, si a religione domini territorii dissentiant, beneficium emigrandi concessum, insuper maioris concordiae inter Status conservandae causa cautum fuerit, quod nemo alienos subditos ad suam religionem pertrahere, eaque causa in desessionem aut protectionem suscipere, illisue villa ratione patrocinari debeat; conuentum est, hoc idem porro quoque ab utriusque religionis Statibus obseruari, nullique Statui immediato ius, quod ipsis ratione territorii & superioritatis in negotio religionis competit, impediri debere.

---

o) I. O. Art. V. §. 30.

tere. De altera iuris reformandi parte, ut  
ait schola, potestatua, seu iurisdictione ec-  
clesiastica, in Pace relig. primum p), tum in  
Pace westphal. ita conuentum q): *Ius dioce-  
sanum, & tota iurisdictione ecclesiastica cum om-  
nibus suis speciebus, contra augustanae confes-  
sionis Electores, Principes, Status, (compreensa  
libera Imperii Nobilitate) eorumque subditos,  
tam inter Catholicos & augustanae confessioni ad-  
dictos, quam inter ipsis solos augustanae confes-  
sionis Status, usque ad compositionem christianam  
diffidii religionis suspensa esto, & intra terminos  
territorii cuiusque ius dioecesanum & iurisdictione  
ecclesiastica se continueat.*

### § XXXII.

Vtrique tamen juris reformandi noui parti  
in Pacis relig. & Pacis W. tabulis certi positi  
sunt limites. Quantum ad tolerantiam  
diuersae religionis, dominorum territorialium  
potestas in Pace relig. ita constricta  
est, ut subditis dissentaneae religionis, fle-  
bile in alias terras emigrandi, suaque bona  
vendendi beneficium indulgere tenerentur).  
Pax westphalica magis adhuc dominorum  
territorialium potestatem coarctauit, ut a  
domino catholico, subditi cuiuscunq[ue] gene-  
ris, qui siue publicum, siue priuatum augusta-  
nae confessionis exercitium anno 1624, quacun-  
qui

p) §. 20. q) I. O. Art V. §. 48. r) P. R. §. 24.

que anni parte, siue certo pacto, aut priuilegio,  
 siue longo usu, siue sola denique obseruantia dicti  
 anni babuerunt, in eo cum annexis omnibus re-  
 linquendi sint <sup>s)</sup>; idenque a domino A. C.  
 addicto ratione subditorum catholicorum, qui di-  
 cto anno 1624 usum & exercitium catholicae  
 religionis publicum aut priuatum babuerunt,  
 obieruandum sit <sup>t)</sup>). Immo catum porro fuit,  
 ut illi Catholicorum subditi A. C. addicti, vt &  
 Catholici aug. confessionis Statuum subditi, qui  
 anno 1624 publicum vel etiam priuatum religio-  
 nis sua ex exercitium nulla anni parte habuerunt,  
 nec non, qui post pacem publicatam deinceps fu-  
 turo tempore diversam a territorio domino reli-  
 gionem profitebuntur, & amplectentur, vel pa-  
 tienter tolerentur <sup>u)</sup>; vel si sua sponte emigrare  
 voluerint, aut a territorii domino iussi fuerint,  
 libere possint, aut retentis bonis, aut alienatis  
 discedere, retenta per ministros administrare, &  
 quoties ratio id postulat, ad res suas inspicien-  
 das, vel persequeendas lites, aut debita exigenda,  
 libere & sine literis commeatus adire <sup>x)</sup>; & vt  
 subditis eiusmodi iam tempore publicatae  
 pacis vni alterius religioni addictis terminus  
 non minor quinquennio, aliis post pacem, re-  
 ligionem mutantibus non minor triennio ad  
 emigrandum praesigatur <sup>y)</sup>.

C 2

§ XXXIII.

<sup>s)</sup> I. O. Art. V. §. 31. <sup>t)</sup> cit. loc. §. 32. <sup>u)</sup> cit. 1. §. 34. <sup>x)</sup> cit. 1. §. 36. <sup>y)</sup> cit. 1. §. 37.

## § XXXIII.

Sed & altera iuris reformati noui pars, seu iurisdictione ecclesiastica, *impropria* quidem Imperii Statibus competens (§ XXXI.) suos perpesta est limites. Per Pacem rel. z) exceptis caussis, religionem, fidem, constitutionem ministrorum, ritus, ordinationes, & ceremonias concernentibus, reliquae Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Praelatorum iurisdictioni relictae erant. Per Pacem westphal. a) quoqne casus nonnulli determinati sunt, in quibus tam in Protestantes, quam in Statuum protestanticorum subditos catholicos, Episcoporum iurisdictione hodie exerit. Statuit enim primo. *Ad consequendos redditus, census, decimas, & pensiones, in iis A. C. Statuum ditionibus, ubi Catholici anno 1624 notorie in possessione, vel quasi exercitii iurisdictionis ecclesiasticae fuerunt, utantur eadem posthac quoque.* Secundo. Catholicorum A. C. additi status prouinciales, & subditi, qui anno 1624 ecclesiasticam iurisdictionem agnoverunt, in iis casibus modo dictae iurisdictioni subfint, qui augustanam confessionem nullatenus concernunt. Tertio. Eodem etiam iure augustanae confessionis Magistratum catholicum subditi censeantur, inque hos, qui anno 1624 publicum religionis catholicae exercitium habuerunt, ius dioecesanum, quatenus Episcopi illud dicto anno quiete exercuerunt, saluum esto.

## § XXXIV.

z) S. 20. damit auch. a) I. O. Art. V. S. 48.

## § XXXIV.

Quum igitur in ciuitatibus mediatis ciues  
sive singuli, sive collectum sumti, non alio,  
nisi subditorum nomine veniant (§ XXII.) ;  
ciuitates mediatis quoque nec aliorum, quam  
qui ex hac tenus dictis, subditis communicati  
sunt, fauorum & iurinm religionem concer-  
nentium ex pacificationibus religionis caussa  
initis participes effectas, in propatulo est.

## § XXXV.

Multo ampliora sunt, quae Ciuitates im-  
mediatae per Pacem rel. & Pacem westphal.  
adeptae sunt, iura religionem concernentia.  
Religionis intuitu ciuitates Imperii immedia-  
tas vel puras, vel mixtas esse, experientia,  
legibus Imperii suffulta satis superque edo-  
cet. Quaenam vero ad mixtas referendae,  
non conueniunt. Nimium petunt, qui ad  
ciuitatem mixtam requirunt, vt in ea diuer-  
sae religionis exercitium ex decreto Magi-  
stratus & ciuum, anno 1624 edito introduc-  
tum sit; quum fortasse eiusmodi decreti  
exemplum nec pro religione catholica, nec  
pro protestantica anno 1624 hoc modo intro-  
ducta ostendi possit. Rectius ex ipsis Pacis  
westphalicae tractatibus, illiusque analogia,  
ciuitas mixta dicenda, cuius ciues anno 1624  
diuersae religioni addicti fuere. Pacificen-  
tium mentem colligere licet ex Protestan-  
tium

tium projecto de anno 1646 b), in quo mixtae ciuitates dicuntur diejenige, in deren Bürgerschaft im Entscheidungsziel zweyerley Religion gewesen. Immo, quum a Catholicis anno 1647, ea ciuitatis mixtae interpretatio reiecta esset, dass die Regierung sowohl, als Bürger von zweyerley Religion wären, in ipso Pacis westphalicae instrumento osnabrugensi c), vbi de ciuitatibus mixtis sermo est, nulla facta est mentio Magistratus.

### § XXXVI,

Liberae Imperii ciuitates per publicas Imperii leges ad parallelam cum reliquis Imperii Statibus sortem esse&tae sunt, tum superioritate territoriali (§ XXIII.), tum votu decisiuo & sessione in Comitiis Imperii praedictae (§ XXIV.). Quum vero ius reformati nouum Statibus Imperii ex utraque Pace tam religiosa, quam westphalica saluum sit & integrum (§. XXXI.) ; palam est, illud liberis & immediatis Imperii ciuitatibus puris, seu in quibus unica tantum religio anno 1624 viguit, in dubium vocari minime posse. Quid? quod Pax W. i s reformati nouum generale & integrum ciuitatibus puris speciatim cauerit verbis his sat claris d) : liberae Imperii ciuitates - in quibus unica tantum religio anno 1624 in usu fuit, tam ratione iuris reformati

b) Apud MEIERN Tom. III. pag. 334. & seq.  
c) Art. V. §. 49. d) I. O. Art. V. §. 29.

*mandi, quam aliorum casuum religionem concer-  
nentium in territoriis suis, & respectu subdito-  
rum non minus, ac intra muros, & suburbia,  
idem cum reliquis Statibus Imperii superioribus  
ius habeant.*

### § XXXVII.

Quod modum exercendi iuris reformandi  
noui ciusque praecipuam partem simultanei  
at: inet, discernendum est, quae vigeat in  
eiusmodi ciuitatibus regiminis formula. Si  
regimen sit democratico proprius, seu si po-  
pulus regnet, *absque huius consensu* reforma-  
tio hoc cum effectu institui nequit, ut alterius  
religionis exercitium introducere fas  
sit, quod anno 1624 exulauerat. Nam in  
regimine democratico summum de religione  
statuendi arbitrium penes multitudinem resi-  
det, cuius suffragiis Magistratus ad omnia  
publica negotia expedienda indiget. Si vero  
regimen aristocraticum obtineat, seu si supre-  
num rerum arbitrlum a populo in Magistra-  
tum translatum sit, vel potius si a gustissimus  
Imperator regalia & superioritatis iura Magi-  
strati contulerit, ciuibus sola obsequii gloria  
relieta, etiam ius reformandi non potest non  
conuenire *Magistratui*, cui proin a fide anno  
1624 agnita descicendi, illamque, quam re-  
cens profitetur, religionem introducendi, fa-  
cultas abnegari nequit e). Quaecunque autem  
fit

---

e) Cf. BARTHEL. Tom. I. Opusc. II. Art. II. §. 8.

sit regiminis formula, ciuibus singulis, aut etiam maiori eius parti, mutandae religionis libertas non magis competit, quam alii Statuum subditis, illique cives, qui nouam religionem amplexantur, cuius nec publicum, nec priuatum exercitium anno 1624 habuerunt, si eos ferre ciuitas nolit emigrandi beneficio contenti sint, oportet. Nec ob ius ciuitatis, quod habent, praetendere possunt, ut tolerentur, quum ciuitatibus idem in singulos ciues ius sit, quod est reliquis Imperii Statibus in suos subditos. Ius reformandi nouum ciuitatis privilegium est, non singulorum ciuium. Et quanquam vniuersitas nil aliud sit, quam ipsi homines vniuersitas; iuris tamen subtilitate & fictione vniuersitas repraesentat vnam personam moralem, quae est aliud quid a singulis vniuersitatis hominibus. Dein Pax westphal. f) dum ius reformandi non solum liberae & immediatae Imperii Nobilitati, tanquam aliqui vniuersitati, sed etiam singulis eius membris concedere vellet, singula quoque membra expessit. Cur eadem Pax g) liberis & immediatis Imperii ciuitatibus ius reformandi nouum tribuens, si singula ciuitatum membra comprehendere voluisse, altum de his seruauit silentium h)?

### § XXXVIII.

f) I. O. Art. V. §. 28. g) cit. I. §. 29. h) Cf. BANIZA de iur. reform. sing. Imp. ciuit. incol. non compet.

41

### § XXXVIII.

Non absimili modo in ciuitatibus immediatis puris modus iurisdictionem ecclesiasticam (impropriam) exercendi, pro varietate religionis variat. Sane ciuitas immediata catholica plus juris ac potestatis sacrae in ciues singulos homogeneae religionis exercere nequit, quam ante religionis dissidia exercuit, quum iurisdictione ecclesiastica, proprie dicta, ab ipso religionis christianae fundatore CHRISTO, Episcopis in omnes Catholicos commissa, in saluis religionis catholicae principiis afferri haudquaquam valuerit. E contrario ciuitas immediata A. C. addicta, eequod ex principiis protestanticis nulla Episcopis, qua talibus iurisdictione competit, sed eadem cum superioritate territoriali induisse cohæreat, iurisdictionem ecclesiasticam in singulos ciues secundum omnem, qua apud ceteros A. C. Status late patet, ambitum exercet, disponendo de personis, rebus, & causis ecclesiasticis. Haec enim potestas prono fluit alio ex systemate *iuris territorialis*, a Protestantibus admisso, & in ipsis Pacis westphal. tabulis fundato. Quod autem illi recens effinxerunt sistema *collegiale*, Catholici saltem eo minus morantur, quo certius est, illud P. W. tempore incognitum, & hodie inter Protestantes necdum satis fixum esse.

### § XXXIX.

## § XXXIX.

Tandem ius reformati nouum ciuitatibus puris assertum (§ XXXVI.), in ciuitatibus mixtis locum neutiquam inuenit: in his enim neutri partium alteram de religionis suae exercitio, ecclesiae ritibus & ceremoniis deturbare fas est, sed ciues pacifice & comiter inuicem cobabitent, liberumque religionis suae & honorum usum, vitro citroque habeant i). Huic tamen dispositioni Pacis westphalicae non obstatre centeo cum BARTHELIO k), quominus, primo, Catholici in suis templis noua altaria erigant, nouam supellectilem pretiosam fieri, nouas campanas etiam solito maiores fundi & suspendi current, Venerabile saepius cum Episcoporum licentia exponant, nouas supplicationes & processiones instituant, Viaticum publice ad infirmos portent, aliaque, quae ad eius, vel templorum ornatim, aut reparationem spectant, procurent. Secundo: si in templis virisque parti communibus similes ornatus sibi solis comparent; dummodo ea, quae alteri religioni offendiculo esse possunt, eo tempore, quo haec sacris suis operam dat, iterum remoueant. Tertio: si exigente necessitate aut utilitate noua templa, nouas scholas, excident, plures Sacrorum ministros recipiant, nouos in Imperio probatos Ordines admittant,

alia-

i) P. W. I. O. Art. V. §. 29. circa finem. k) cit. 1.  
§. 9.

aliaque similia faciant, quae ciuibus diuersae religionis nullum creare possunt detrimentum. Quod enim vni parti prodest, alteri non nocet, non alio, nisi inuidiae, liuoris, aut spuriae aemulationis titulo interdicitur: quae vitia ex ipsorummet summorum Paciscentium mente, legisque publicae scopo inter ciues exulare oportet. Atque haec de ciuitatibus Germaniae ex curta mea supellectile in medium prolatâ sufficiant.

## POSITIONES

EX

### IVRE ECCLESIASTICO SELECTAE.

*Ex prolegomenis iuris ecclesiastici.*

§ I.

*Vniuersalis.*

I. CHRISTVS Dominus Ecclesiam erexit a iudaica omnino diuersam, ad omnes mundi nationes extendendam. 2. Hanc instruxit potestate legislatoria, iudicaria & coerentia; quae triplex potestas, imperium ecclesiasticum appellatur. 3. Imperium istud CHRISTVS non quibusuis societatis membris, sed solis Apostolis concedidit, quos inter PETRVS peculiari iurisdictionis praerogativa insignitus fuit. 4. Apostolorum successores sunt Episcopi veri omnes; solius PETRI in honoris & iurisdictionis primatu Episcopus

10-

romanus. 5. Forma regiminis ecclesiastici a terrenis gubernandi modis diuersa ex Scripturis sacris & traditione demonstranda. 6. Leges ecclesiasticae in primis seculis perpauciae erant, nec statim in integra volumina coaeruleunt. 7. Canones, quos Apostolorum vocant, nec apostolorum, nec aevi apostolici partum esse, multa sunt, quae persuadent. 8. Collectio ISIDORI (minime S. Praefulsi hispalensis) sed Mercatoris seculo VIII. protrusa spuriis scatet mercibus. 9. Corpus iuris canonici vim legalem absolutam & vniuersalem non ubique obtinet. 10. Obiectum legis ecclesiasticae esse etiam actiones internas, haud aquam repugnat. 11. Inter requisita legis ecclesiasticae, actu obligantis, referenda est promulgatio publica & authenticata. 12. Legi actum prohibenti, regulariter ea vis ineft, vt actus contra eam gestus pro infecto habendus sit.

## § II.

*Particularis seu Germaniae.*

1. Compositione inter CALIXTVM II P. & HENRICVM V Imp. de inefturis, vis transactionis verae & licitiae abiudicari nequit. 2. Concordata ab EVCENIO IV P. cum Electoribus, & Episcopis Germaniae compluribus inita, Concordatorum vindobonensium (communiter aschaffenburgenium) basin ac regulam constituant, & vtraque sunt verum patrum Curiam romanam, aequae ac Nationem ger-

germanicam stringens. 3. Decretum *Interim* a CAROLO V Imp. editum nihil continet catholicae religioni contrarium. 4. Pax religiosa & westphalica vim pacti valide & licite initit, tam Protestantes, quam Catholicos obligantis obtinent.

*Ex iure ecclesiastico uniuersali.*

§ I.

1. Iura summi Pontificis essentialia ex fine primatus, quo unitas in Ecclesia intenditur, desumpta sunt: reliqua accidentaria dicuntur.
2. Cardinales omnes & soli ius eligendi Pontificem romanum in Conc. lateran. III adepti sunt.
3. Legatorum *natorum* potestas in simpli ci iure excubandi pro fidei, canonum, & disciplinae integritate consistit.
4. Legatorum *datorum* potestas hodie ex Concordatis, synodo tridentina, & vnu hodierno determinanda.
5. Patriarcharum & Metropolitarum iura tam antiqua, quam hodierna, coram exponi posunt.
6. Episcopi titulares, sunt veri nominis Episcopi; iura autem episcopalia absque consensu Ordinarii exercere nequeunt.
7. Ecclesiae cathedralis vacantis regimen Capitulis iure ad crescendi seu consolidationis non competit.
8. Exspectatiuae in C. trident. prohibita Canonicos in herbis non tangunt.
9. Resignationes in fauorem, vtut non simoniacae,

mi-

minus tamen salutares sunt. 10. Monasteria bonorum capacia in professi bona & iura succedunt, si is nec ante professionem testatus fuerit, nec lex singularis obstet. 11. In Testamentis ad pias causas sola voluntas testatoris probanda est. 12. Liberi ex adulterio geniti, beneficio legitimacionis per subsequens matrimonium non gaudent. 13. Ius decimas percipiendi per praescriptionem in memoriam a laicis adquiri potest. 14. Imunitas a decimis ecclesiasticis a laicis obtinetur per praescriptionem 40 annorum cum titulo aduersus ecclesiam parochiale, eodem tempore sine titulo aduersus aliam ecclesiam. 15. Feuda ecclesiastica, alia sunt data, alia oblata. 16. Feuda oblata potius propria, quam impropria presumenda sunt. 17. Transactio extra dolum inita etiam ob instrumenta nouiter reperta, impugnari non potest. 18. Juramentum voluntarium judiciale actu praesbitum id operatur, vt iudex pro iurante ferre sententiam debeat, quae vim rei iudicatae habeat, & appellationem excludat. 19. Econtra sententia ex iuramento necessario judiciali obnoxia est rescissione ob instrumenta nouiter reperta, querelae de periurio, & remedio appellations. 20. Res iudicata in foro tam externo quam interno bona fide litigantem securum reddit.

§ II.

## § II.

1. Poteſtati ciuili competit ius circa ſacra, quod in ius aduocatiae & ius cauendi diſpeci-  
tur. 2. Circa eſſentialia religionis poteſtati ciuili ſolum ius aduocatiae conuenit. 3. Circa diſciplinares  
leges nouas, ius cauendi, ſub quo aequus & mo-  
deratus Placeti uſus comprehenditur, ciuili poteſtati  
abiudicari nequit. 4. Bona eccleſiaſtica iuſto  
titulo poſeffa, nonniſi in caſu verae & publicae  
neceſſitatis, feruatoque reſto ordine, & adhibitiſ  
debitis conditionibus, dominii alti effeſtibus ſubi-  
ciuntur. 5. Si ecclieſiis, & monaſteriis ſati prouifum  
fuerit, & ex bonis vitra in eadem confeſendis cer-  
tum & maius rei publicae dannoſum immineret, lex  
amortizationis, feruato itidem reſto ordine locum  
habere poteſt.

*Ex iure eccleſiaſtico particulari  
ſeu Germaniae.*

## § I.

1. Ius eligendi Epifcopos, Capitulis eccleſiarum  
cathedralium per Concordata firmatum eſt. 2. Ele-  
giōnes autem controverſas ſummuſ Pontiſex diu-  
dicat, qui etiam legitime elecioſ conſiſmat, 3. &  
Coadiutores nonniſi a Capitulis deſignatoſ conſti-  
tuere poteſt. 4. Beneficia per obiitum naturalem  
apud Curiam romanam vacantia, Pontiſci refer-  
uata ſunt 5. Quaenam beneficia incompatibiliā  
Pontiſci referuata ſint, defendens quaefiſtiſ ex-  
planabit. 6. Translatio Epifcoporum tunc ſolum  
reſeruationem beneficiorum operatur, quando ea  
ſoliſ Papae auſtoritate perficiuntur. 7. Ea tantum  
reſignatio ad inducendam prouifionem papalem  
apta eſt, quae facta eſt ob cauſam elecſionis vel  
poſtu-

postulationis. 8. Alternativa mensium in omnibus ecclesiis Germaniae admitti nec debuit, nec admissa est. 9. Ab alterandi necessitate excipiuntur dignitates maiores post pontificalem in cathedralibus, & principales in collegiatis ecclesiis. 10. Annatae seu quaecunque praestationes pecuniariae Pontifici ex titulo sustentationis & fide publici soluuntur.

## II.

1. Triplex religio, videlicet praeter aitam Catholicorum, etiam A. C. addicorum & Reformatorum religio ius civitatis in Germania obtinuit. 2. Episcopi & alii Beneficarii ad aliam religionem transeuntes, ipso iure, dignitatibus & beneficiis suis priuati sunt; 3. Beneficium talismodi autem alteri pure collatum, post redditum apostatae, pensione graueri nequit. 4. Religioso professo, apostatae ius succedendi in parentum & agnatorum bona non competit. 5. Ius reformandi nouum omnibus Statibus Imperii, & Nobilitati immediatae ex P. W. certo conuenit; limitem vero pénit annus normalis. 6. Post suspensum iurisdictionem ecclesiasticam Episcoporum, Protestantes mediatis in prima instantia dominorum territorialium, etiam Catholicorum iurisdictioni sub sunt; in secunda instantia, sicut immediati in prima, Imperii Architribunalium potestati subiiciuntur. 7. Causae religionem di - vel indirecte concernentes, vel legitimam in partes itionem praesupponentes, votorum pluralitati in Comitiis Imperii subtractae sunt. 8. Itio in partes vero per votum commune non perficitur. 9. Autodikia quoque in causis religionis locum minime habet. 10. Ius precum primariarum Imperatori ex obseruantia competit.

O. A. M. D. G.





**ULB Halle**  
002 394 448

3




SH

V  
D  
18



# Farbkarte #13

B.I.G.



# 1797 SVCCINCTA IVITATVM GERMANIAE

EARVMQUE  
IVM RELIGIONEM CONCERNENTIVM  
DELINEATIO.

VNA CVM  
PONIBVS EX IVRE ECCLESIASTICO SELECTIS  
QVAS  
SPICE DIVINI NVMINIS CLEMENTIA  
PRAESIDE

CYRILLO ZORN  
P. FRANCISI STRICT. OBSERV. RECOLLECT.  
THEOL. LECT. EMER. ET IVR. ECCL. ACTVALI,  
PROVINCIAE ARGENT. SEV ALEMANNIAE  
SUPERIORIS CVSTODE ACTVALI,

TVEBITVR  
MARQVARDV MÜHLBAVER  
EIVSDEM ORDINIS

IS ECCLES. ET SS. SCRIPTVRAE CANDIDATVS.

BAMBERGAE  
APVD PP. FRANCISCANOS

ANNO MDCCXCVII

DIE MENSIS AVGVSTI

boris ante & post meridiem confuetis.

VM ADPROBATIONE SVPERIORVM.

Ioan. Georgii Klietsch, Almae Vniuers. Typ.